



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 5. Acherontici Protei, versipelles Iudi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

masculi versicoloribus tunicis vestiti, qui velut Gryphes id metallum custodiunt; neque rarò de vicinia audiuntur tanquam malleatores rupem extundentes. Ita neque vllarum pecudum, neque vllorum hominum forma tam est vilis, in quam gigantes isti non intrent; in muscas, in formicas; in omnes figuras.

§. V.

*Acherontici Protei, versipelles ludi.*

Quia enim admodum rarum est damnatorum animas, vel ad breue tempus, ex Orco emitti, dæmones earum vice funguntur, in hominibus diuexandis, eamq; in rem varios vultus mentiuntur. Quod credibile est Athenis Athenodoro contigisse de quo memoravi. Clariùs tamen euenit Còrinthi in domo Eubatidæ, vt memorat ipse Pythagoricus Arignotus.

*Inhabitabilis illa erat domus, propter terricula. Quod si quis inhabitasset, expauescens subito fugiebat. Deciderat ergo iam, tetrumq; rumpebatur. Nullus erat, qui ingredi auderet. Arignotus hec audiens, incantationibus & carminibus armatus, domum ingreditur, Umbram, si appareat, domo exacturus. Dum tacitus in vastissimo atrio sedens,*

Apud Lucian. in Philopseude.

ad

ad lumen legit, adest demon squalidus, hirsutus, & tenebris nigrior: tentatq; si qua ratione terreat, & expugnet: & nunc in canem, nunc in taurum, nunc in leonem se vertit. Nihil his omnibus commouetur Arignotus; sed assumpto carmine, in quendam domicilij tenebrosum angulum, Spiritum compulit, ubi mox ille disparuit. Manè sumtis ligonibus inßit effodi locum, ubi Spiritum se condentem noctu obseruabat. Inuenitur cadauer hominis defuncti, quod exhumatum, ubi sepultura fuit traditum, omnis infestatio domum reliquit. Vides varias figuras dæmonis potestatem habentis ibi, ubi cadauera sunt fuorum? Quanquam etiam in pœnam eorum, id permittere diuina Nemesis potuit, qui fortasse inibi locorum innocentē occiderunt; ac ne facinus erumperet, in eadē domo clam sepeliuerunt. Vides dæmonem canem? vides taurum? vides eum, qui circueit tanquam leo rugiens quarens quem deuoret?

## §. VI.

*Diabolus draconis forma descriptus.*

Vis etiam videre draconem? Audijt eum saltem allegoricè describi Iob, quem expertus est verberantem. *Ecce Behemoth,*

Iob. 40;  
41.

quem